DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE ORATIO HABITA 6. KAL. MAJAS 1737. IN...

Gaspare De Torres, Valenti Gonzaga

BEATISSIME PATER.



QUOD Orationem hanc meam de redivivo Domino in Pontificio Sacello coram Amplissimis Cardinalibus habitam singulari humanitate exceperis; quodque mihi aditum ad oscula Pedum SANCTITATIS TUÆ *benignè dederis, quas gratias Tibi agam, quas laudes referam? Mirantur quidem omnes, & ad Cœlum laudibus*

efferunt Urbem Tua beneficentia, ac liberalitate in veterem splendorem restitutam: ego sane plus admiror paternum tuum erga omnes studium, & incredibilem erga omnes humanitatem: Sunt in ore omnium publici Fontes per Te eleganter, ac magnificenter ornati; nova Pontificiæ ditionis administris domicilia a fundamentis excitata; tum sacræ ædes insigni munificentia instauratæ; præ cæteris augusta Lateranensis Basilicæ Facies magno sumptu, incredibili opere, & magnificentia prope regia ad Cœlum erecta; ut nihil loquar alia plurima in variis Italiæ partibus præclara liberalitatis Tuæ monimenta ad sempiternam nominis Tui

memo-

memoriam constituta: Quid vero hæc, & si ingentia, ac magnificentissima nemo, nisi qui omni sensu careat, esse non videat, si cum cæteris tuis virtutibus comparentur, quibus Teipsum quodamodo vicisse videris; cum excelsa, inquam, illa animi magnitudine, quam, ut in gravissima senectute, imperii tamen ecclesiastici molem ita sustines, ita unus omnia providentissime tueris, quantum alii integra ætate per se vix agere possint. Nullus enim dies a publicis negociis Te feriatum habet; nullum tibi tempus vacuum; nullum ita tuum, quod Catholicæ Ecclesiæ bono, aut populorum utilitati liberaliter non impertias: & quod mirandum magis est, si

in ista ætate contigit Te morbi causa decumbere, nemini Tui adeundi facultatem negas, sed omnes eadem, qua semper, facilitate excipis, omnes perhumaniter audis: & veluti humana imbecciltate superior a negociis, curisque publicis minime cessas. Hæc sane me commovent magis, quam quæ vulgi oculos externa in admirationem rapiunt: Hæc plane faciunt, ut Te nobis divinitus oblatum esse sentiamus, utque Christianæ Reipublicæ felicitati Te diu sospitem, diuque incolumem a DEO *Opt: Max: votis omnibus exoptemus.*

ORA-

ORATIO.



Ùm de redivivo Domino verba facere institue-rem, illud mihi evenit, quod Apostolis in vertice Thabor contigisse, sacra Litterarum monimenta testantur. Cœlestis nimirum splendor undequaque circumfusus, ita illos perculsit, ut vocem quidem è lucida nube demissam perciperent, levantes autem oculos suos neminem intuerentur: ita profectò Parens noster ad immortalem vitam excitatus tam copioso lumine aciem perstringit, ut mens quoque obruta clarissima luce obstupescat. Quid ergo? Nullane ratione hujusce triumphi pompam assequemur? non ita sanè; sed animus parumper ab immensa illa claritate deflectat necesse est, ut scilicet divini Reparatoris atrocissimum interitum maturè perpendens ex hoc, velutì è proposita mensura, valeat, quantam ille resurgendo gloriam consequutus sit, tutè deprehendere.

Matth. 17. 5.

Cùm

Cùm Dei perfecta ſint opera, perfectiſſimum ſanè illud fuit, quod in Cruce Chriſtus exhibuit, ut abjectum, perditumque humanum genus in priſtinam incolumitatem reſtitueret: Hinc ille cùm acetum moriturus deguſtaſſet omnia conſumata eſſe exclamavit, videlicet de menſura paſſionum nihil deeſſe. Et ſane nonne infinitus amor enituit, quo naturæ noſtræ infirmitatem, & ægritudines, ut illas ſuo curaret interitu, perferre non dubitavit? Nonne ſumma, & indefinita virtus inter acerbiſſimos cruciatus, cùm a vertice capitis uſque ad plantam pedis nulla in eo ſanitas reperiretur? Nonne ſingularis, liberaliſque munificentia, qua ad extremam inopiam ſponte redactus eſt, ut tenuitatem noſtram opibus minimè caducis cumularet; cruentamque mortem oppetiit, ut quæ in nobis de Parentum crimine labes inſederat, penituſque inveteraverat, ſuo ſanguine detergeret? Hæc, dum ego repeto, licèt acerba, & luctuoſa ſint, tamen mihi lætandum eſſe video, & voluptate quadam geſtiendum. Nam cùm humilitas claritatis ſit meritum, claritas humilitatis præmium, ſicut immenſum meritorum

Joan. 19. 30.

S. Aug. in Pſ. 86.

Iſa. 53. 4.

Iſa. 1. 6.

S. Auguſt. tract. 104. *cap.* 17.

pon-

pondus agnovimus, ita parem hodierno die gloriæ mercedem, quæ nulla cogitatione comprehendi poſſit, Chriſto Domino contigiſſe planè intelligimus. Sed rationibus agenda cauſa non eſt, ubi divino teſtimonio veritas comprobatur. Recordamini Parentem optimum, cùm ſuos ad fidem, & conſtantiam hortaretur diſcipulos, ſæpius dixiſſe, tum divinitatis ſuæ gloriam corporis humilitate conte&tam palam eſſe oſtendendam, cùm Filius hominis in crucem efferretur. Quid, ait Auguſtinus, nondum erat glorificatus, cùm mortuos ſuſcitaret, & nunc eſt glorificatus, cùm mortuis propinquaret; nondum erat glorificatus faciens divina, & nunc eſt glorificatus paſſurus humana? Ita profecto: cùm proditor Judas ad Sacerdotum Principes abiiſſet, ut amantiſſimum Præceptorem furori, atque invidiæ quaſi victimam nefariè devoveret, tum denique perfectis votis ille affirmavit: nunc clarificatus eſt Filius hominis. Tum quippe venerat hora, quam dudum exoptaverat, ut per inauditum mortis genus, quadam veluti nobis propoſita regula, claritatem, quam ſemper habuerat apud Patrem, apud ho-

Joan. 8. 28.

S. Auguſt. tract. 63. *In Joan. cap.* 7.

Joan. 13. 31.

Joan. 17. 5.

mines

mines potiſſimum ſibi vindicaret. Nolite igitur arbitrari omnem hodierni triumphi gloriam in eo poſitam, ſatiſque declaratam eſſe, quod ſplendor de Cœlo affulſerit, quod monumenta aperta ſint, & in hanc lucem plurimorum corpora revocata, ut triumphantem Dominum ſequerentur; quod denique non eadem conditione ad vitam redierit, uti Lazarus, Viduæ Filius, Archiſynagogi libera, qui omnes rurſus morituri vitam acceperunt, ſed ita reſurrexit a mortuis, ut nullam amplius rationem, ac poteſtatem in ipſum mors ſit habitura: Hæc proculdubio magna, atque præclara ſunt indicia triumphi, & veſtigia quædam, quibus tacitè admonemur aliquid illuſtrius, atque divinius eſſe animo conſtituendum. Equidem nòn alia ratione gloriæ magnitudo conjici, deprehendique poteſt, quàm ſi mortis atrocitas, ac divina Servatoris virtus, ex qua velut ex ſua cauſa illa dimanavit, attento prius animo ponderetur: tum ſane immenſam gloriam, & quæ nullis verbis explicari poſſit apertè fatebimur, cùm immenſis meritis debitam, ſtatutamque dignoſcamus.

Matth. 27. 52.

S. Aug. in Pſal. 126.

Ad Rom. 6. 9.

Illud